

tem arguentes, quam alterius etiam effectus defectum conse-
qui mirum esse non deberet.

Causa 15. Phæn. **CONCLUSIO X.** Quâ ratione & illud accidentarium jure videri queat, quòd in attritu lachrymarum æquabili, fractura non alibi citius quâm ad bullarum istarum contum contingat; quatenus scilicet & partes exteriores ad ali- quam profunditatem usque tensione sæpiùs memoratâ ca- rent, & æquabilis partium pressiùs se complexarum motus per attritionem receptus ita commodè & efficaciter commu- nicari sequentibus non potest, ad primam autem bullæ ali- cujus effractionem major partium, respectu cavitatis illius fulcro & sustentaculo carentium, tremor & concussio con- sequitur & consequenter etiam efficaciùs in partes subsequen- tes effunditur: prout certè experientia docet, corpora sonora cava & liberiùs pendula, uti sunt e. g. campanæ, receptum unâ parte impulsu per omnes cæteras, ac his mediantibus per aëris magna intervalla, multò efficaciùs transmittere, quâm solida ex eodem metallo, aut ipsa etiam cava obstaculo cuiquam innixa vel solâ manu prehensa. Quòd autem *Dn. Redi* Experim. 20. & 21. notat, aliquando se guttulas atte- rendo totas consumpisse ut non creparent, etiamsi attrito attigisset ea loca, quibus bullæ plures congregatæ fuerant, ejus rei causa dari tum poterit, ubi Phæn. XI. ac XII. rationem exposuerimus; id quod nunc facere aggredimur.

Causa 11. Phæn.

CONCLUSIO XI. Scilicet incandescentes ad flamمام aut super ardentes prunas lachrymæ, cùm lentè permeans ipsas undiquaque calor partes rigentes tantillum emolliat atque emoveat, atque adeò exteriores cum interioribus ad eundem condensationis gradum reducat, in quo deinceps æquabiliter in aëre refrigeratae perseverant, (tametsi enim hîc etiam exteriores, ex ambientis aëris contactu, citius quâm interiores debere frigesceri & indurari existimare quis posset, advertenda tamen hîc illa est circumstantia, quòd exterius etiam priùs & consequenter magis incaluerint interioribus extinctâ)